

natio teneat, & firmiter observetur per septem annos, & ultra, donec per Priorem, & Guardianum, qui pro tempore fuerint, fuerit revocata, & ut memoriae melius commendetur, omni anno bis legatur in capitulo ordinis utriusque. Insuper concordaverunt ad invicem, quod Ecclesia major computetur in quarterio Gamundii.

*Collatio Beneficii S. Felicis de Grogardo a Ruzia Abbate S. Petri concessa.*

240

MCCLXXXII.

In nomine Domini, anno Nativitatis Domini MCCLXXXII., indictione X., die Lunæ II. intrantis martii in sacristia S. Petri de Aquis, presentibus DD. . . . Marchio de S. Margarita de Aquis, fratre Guillelmo Rappa monacho monasterii S. Petri de Aquis, presbitero Guillelmo Capellano dicti monasterii T. R. & V. D. Rozia Abbas monasterii S. Petri de Aquis titulavit Belenginum filium Presbyterum (1) de Uvada, & primam tonsuram dedit, & fecit eidem T. B. (2) de Ecclesia S. Filixis (3) de Grogardo, de quo beneficio D. Belenginus coram dicto Domino Abbate, & testibus supradictis stetit tacitus, & acceptavit; & in hanc cartam D. D. Abbas fieri jussit mihi Notario infra scripto. Petrus de Bergunzio Notarius S. Palatii hanc cartam tradidi, & scripsi.

(1) Presbyteri cognomen. (2) Titulum beneficii. (3) Felicis.

*Collatio præposituræ collegiatae S. Johannis de Incisa facta ab Henrico Vicario Aquen. Eccl.*

241

MCCLXXXII.

Anno Domini MCCLXXXII., indictione X., die IV. augusti in curia, sive in sedimine Ugheti Farinei de Aquis, presentibus D. Bertolino Baldizono canonico Aquensis Ecclesie, D. Frederico Archipresbitero dictæ Ecclesie, Guillelmo de Montibello familiari D. Enrici vicarii testibus rogatis, & vocatis. Cum in præpositura Ecclesie S. Johannis de Incisa pro cultu divino unus præpositus, & tres canonici consueverint esse de longa consuetudine ibidem diutius observata, & nunc canonici deficient per negligentiam præpositi, & canonicorum dictæ præposituræ, nos frater Henricus de Locedio generalis Vicarii Aquensis Ecclesie, ipsa Pastore vacante, & totius Episcopatus, nolens quod antiquus numerus in eadem Ecclesia observatus pro aliquorum insolentia subvertatur, quem ibidem, & alibi in nostra civitate, & diocesi augeri cupimus pro cultu divino potius, quam restringi, dummodo antiquæ facultates ibidem existant D. Ubertum Aquensem Archidiaconum in dicta præpositura institui in canonicum fratrem conferentes eidem in dicta præpositura beneficium, & præbendam cum omni plenitudine honoris, Can. &c. amoto quolibet illicito detentore &c. Ego Rufinus Barreta de Aquis Notarius &c.

*Assignatio temporis ad comparandum coram Archiep. Mediol. in causa electionis Oglerii in Episcopum Aquensem.*

MCCLXXXIII.

242

Anno Domini MCCLXXXIII., indictione XI., die Veneris XVIII. martii (1) comparentibus coram Domino Archiepiscopo, D. Oglerio electo in Episcopum Ecclesie Aquensis ex una parte, & D. Uberto Archidiacono de Aquis pro se, & D. Ruzia Abbate monasterii S. Petri de Aquis, & aliis canonicis ejusdem Ecclesie Aquensis, quorum procurator est, idem Dominus Archiepiscopus assignat eis terminum diem lunæ post octavam Paschæ Resurrectionis Dominicæ proximæ venturæ causa, & negotio manente in eo statu, quo nunc est, quo termino ambæ partes compareant coram eo ad procedendum in causa, & negotia prædicta. Ego Antegradus Crotus &c.

(1) Erat dies Jovis; at facilis fuit notarii lapsus pro die sequenti.

*Sententia D. Thomæ Marc. Malaspinae circa jus pascendi inter commune Murbelli, & Casinellarum.*

MCCLXXXIV.

243

Anno Dominicæ Nativitatis MCCLXXXIV., indictione XII., (1) die Martis IX. aprilis in Ecclesia de Cormorino D. Thomas marchio Malaspina arbiter . . . electus a Frondiolo de Murbello sindaco . . . D. C. . . . ut in charta . . . Bonifacii de Zabreria Not. MCCLXXXIII. . . . & Albertaccio Sola de Cassinellis sindaco dicti loci . . . sententiavit . . . quod homines de Murbello . . . & de Cassinellis ab hodie in antea debeant communiter pascere cum eorum bestiis . . . Item . . . sententiariis . . . quod sicut vadit via Caralis de Valle longa usque ad petram squillantem, & ad fossatum de Rodemocho, & sicut vadit dictum fossatum usque ad viam de Taliolis, & sicut vadit via de Taliolis per costam usque ad Beltrescam, & sicut vadit via de Caralis per Beltresca per via Caralis de Salto usque ad flumen Urbarum deversus Urrietum, & deversus illos de Mollariis sit, & esse debeat de cetero in bandita illorum de Cassinellis, ad quam homines de Cassinellis non possint, nec debeant adire, nisi ad voluntatem D. Thomæ prædicti . . . in banno . . . XX. Terdonen. quorum X. sint dicti domini, & alii X. illorum de Cassinellis, & a dictis confinibus ultra . . . possint . . . licite hoscare ad eorum voluntatem; ita quod aliquis . . . non debeat ducere aliquem extraneum . . . qui contra fecerit sit in bannos XX. . . . præterquam in castagnetis, & arboribus allevatis domesticis . . . Testes rogati interfuerunt Thomas de Serra, Paulus de Uvada, Fredericus Zabreria, Conradinus de Pisavri &c. (2)

(1) Currebat indictio VII.

(2) Prædicta sententia confirmata, & declarata fuit per sequiorem hanc anni MCCCXLII. (a), indictione XIV. intrante julio in castro Carmorini ante præsentiam D. Isnardi M. Malaspinae, Odonus de Be-